

ma jungendi tempus obtulissent ; reservatum id illius pontificatui decus , ut toties a barbaris illatæ christianis regnis clades egregio conatu vindicari possent : neque vero ambigere , quin Deus Optimus Maximus , res nostras miseratus , barbarorum fastum , atque arrogantiam effringeret . Ceterum quod ad Senatus postulata sigillatim attineret , ut triginta peditum millium delectus haberetur annuere ; Auriaë literis acceptis , decem , quæ illi contingerent , millia conscribi jussurum . Quatuor triremes ad Centumcellas tenere , Hierosolymitanæ religionis nonnullas Neapoli consistere ; cunctas Brundisium missurum . Ut novem Hispanorum peditum millia , qui in regno Neapolitano erant , sub signis continendos curaret , certos homines ad Proregem Neapolitanum missurum . Atque , ut inde rerum præclare gerendarum initiasumeret , unde omnia divina , & humana bona mortalibus manant , proxima die ad Divini Flaminis auram supplicibus votis invocandam sacra missarum solemnina in divæ Mariæ Majoris basilica concelebraturum .

Quæ Pontifici Senatus de Turcarum conatibus indicarat , eadem Carolo Imperatori per Joannem Antonium Venerium , Francisco Galliarum Regi per Christophorum Capellium oratores exponit : addit ad pacem ineundam suasionem , ne potentissimorum Principum dissidiis acrior hostis vehementius in christianæ reipublicæ compages ferrum adigeret . Andreas Auria , qui ut obvius Gallis fieret , Massiliam versus navigaverat , de iis , quæ acciderant , certior fit ; ad Cæsaris classem cum Veneta conjungendam inflammatur ; illius auspiciis haud dubiam sibi victoriam de hoste polliceri Senatus declarat . Ad Ferdinandum quoque Romanorum Regem , atque ad Imperii proceres datæ literæ , quibus hostem nuper Pannonicis victoriis exultantem terrestribus , quibus plurimum possent , viribus arcendum , ac debellandum incitarentur . Aedilibus injunctum , ut quotquot Venetiis Turcæ essent , eos custodiæ traderent ; bona in tabulas publicas referrent ; neminem , nisi , datis vadibus , se Venetiis non exiturum , liberum esse permetterent . Multa undique omnis generis navigia ære publico conductæ ; classis quoque imperatoribus mandatum , ut naves , quæ in Epidauri portu essent , avehi curarent , ne Turcæ , quorum ea Respublica stipendiaria est , maritimis illius viribus in nos ute-

1537

*Venetorum
officia cum
Christianis
Principibus
adversus
Turcas .*

*Turcæ &
eorum bona
Venetiis de-
tenta .*